

& Francisc. bonæ spei disp. ult. phys. resol. 2.) litem facit de nomine, cujus nausea *Arriagam* responsionem hanc relinquere iussit. Illi enim adhuc à *Fonseca*, *Murcia*, aliisque objici posset, constitui, absolvi habitum, remotâ inclinatione, in sola facilitate, quæ eorum sententia est, & suprâ à nobis allata, sed etiam rejecta fuit.

Th. 58. Remotâ itaque hanc etiam responsione, nego contra utrumque; & omnes hujus sententiæ Fautores, intellectum nostrum nullô modô inclinari posse. Quamvis enim in quibusdam cognitionibus l. assensum l. dissensum necessario adhibeat; præter eam tamen latitudinem, quâ suprâ reliquas potentias superabat, indifferentiam quoque ad verum & falsum ex seipsa habet, quæ per habitus omninò tolli debet.

Th. 59. Ut nihil hîc dicam de eâ indifferentiæ participatione, quam plures à voluntate in intellectum trahere solent. *Oviendus* quidem in difficultate de appetitu sensitivo in homine *punct. 2. §. 1. n. 8.* negat illam sufficientem esse, ut respectu illius habitus constituatur, propter hanc rationem, quia intellectus non immediatius participet hanc indifferentiam à voluntate, nec tamen habitibus est præditus: Sed hanc probationem, quia nullibi probata est, nihil aliud certè efficit, quàm quòd petitionem principii expressè committat.

Th. 60. Nec consistere potest illa participatio in solâ voluntate dominante, ut communicare diceretur indifferentiam, quando assensum intellectus cohibet, quod intendit *Mendoza disp. 16. de An. sect. 2. §. 5.* Hôc enim modô nec intelligere possum participationem, nec distingvere scio hanc ab illâ participatione, quâ extrinsecè omnino locomotivæ aliisque; extra hominem existentibus imperare solet.

Th. 61. Atque his suspensi dubitationibus, intellectuales habitus Recentiores negant. Nulla tamen omnino, neque inter Veteres, neque inter Recentiores exorta fuit dubitatio de Voluntate, quæ libertatem suam tot actionibus professâ, atque attestatâ, omnium accipit calculos, ut habituum sedes atque domicilium denominetur. Profitetur se consentientem, *Philosophus 2. Ethic. c. 5.* & in pluribus locis similibus, quæ omnia, uti cæteros Autores citare, superfluum judico, quum omnes hîc amicè conspirent. Imò, *Fonseca in Metaph.*
Arist.